Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38301
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek

ad iustitiam sua quae his digna in fine retribuet. sed etiam ad
exercitationem et prouectum sanctorum suorum. ut ex ipsa etiam
malorum peruersitate boni proficiant. et probentur et mani
festentur. sicut apostolus dicit. Oportet hereses esse. ut pro
bati manifesti fiant inter uos. Nam si nullus etiam malorum
bonus usus esset. deus ad utilitatem electorum suorum. qui etiam
de malo iudae. tantum bonum nobis praestitit ut Christi sanguine
redimeremur. poterat eos aut nasci non permittere. quos ma
los futuros esse praesciebat. aut in ipso eorum initio malig
nitatis extinguere. Sed tantum eos esse permittit. quantum
nouit expedire atque sufficere. ammonendae. atque exercendae
sanctae domui suae. Ideo namque de illis tristitiam consolatur. quia
et ipsa tristitia quam pro illis habemus nos releuat. illos au
tem in sua peruersitate perseuerantes grauat. Gaudium
uero quod percipimus quando aliqui ex eis correcti in melius
commutantur. et sanctorum societati copulantur. Nulli gau
dio in hac uita conparari potest. Propterea scriptum est.
Fili si sapiens fueris. tibi sapiens eris et proximis tuis. Si autem
malus euaseris. solus hauries mala. Quia cum gaudemus de
fidelibus et iustis. et illis et nobis prodest bonum eorum. Cum
autem contristamur de infidelibus et iniquis. illis solis nocet.
et eorum malitia. et nostra tristitia. Nos autem etiam hoc plu
rimum adiuuat apud deum. quod pro eis misericorditer con
tristamur. et pro ipsa tristitia congemescimus et oramus.
Unde honorabilis et in Christo laudabilis famula dei et maestitiam
tuam de talibus. et uigilantiam atque cautelam contra tales quam
tuis litteris expressisti. Multum approbo et laudo.
atque in hac uia perseueranter ambules. pro meis uiribus quia
hoc exigis. Sed et hortor et moneo. ut miserearis eorum tamquam
simplex sicut columba. Caueas autem illos tamquam astuta.